34-6-D-23

4 5
117

EMINENTISSIMI
AMPLISSIMIQVE DOMINI D.
S. R. E. CARDINALIS BICHI.

SACRA PVRPVRA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GRATVLANTE F. CLAVDIO RALLE S. Theolog. Baccalaureo, Miniſtro Faïaceno Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptorum, nomine Religioſi Conuentus Tituli Sancti Mathurini Lutetiæ Pariſiorum.

ANNO. MDC. XXXIV.

EMINENTISSIMI
AMPLISSIMIQVE DOMINI D.

ALEXANDRI

S. R. E. CARDINALIS BICHI.

SACRA PVRPVRA.

ERRABAM inter gratas diffundentes vmbras Arbores, quæ cum hilari odore, clementi etiam brachiorum motu dulces ſuſurros obſibilabant; has inter, garriens riuulus omni cryſtallò lympidior, errantibùs iocabatur aquis, & querulo rore lapillos vexabat, pulſabatquè quaſi muſi-

co concentu, vtrimquè flores, & numeroſa Zephyri familia, hinc è viridi prato argentea ridebant lilia, illinc PVRPVRASCENTES Roſæ promicabant, iſtinc Narciſſorum niuem, & ebur, Hyacinthorum ſanguis, & aurum acuebant, & Ventulus ab omni parte placidiſſimus aſpirabat.

Ibi ſerijs mentem meam ſtudijs arietabam, nec florum laſciuiâ auocabar. Alternum Diei, Noctiſque imperium demirabar, nunc oculeam, ſtellatamquè Cœli Maieſtatem penè adorabam, longiſſima Solis itinera, Lunæquè nunc opulentiam, nunc inopiam, Signorum vices, diſtantias, diametros, circuitus, & abſides Planetarum explorabam, nunc ad floruIentum Terrę gremium me conuertebam; nunc ad ſpatioſiſſimos Fluminum errores, tremendum, tumidumquè Maris dominium, eiuſquè Syrtes profundiſſimas; me etiam ſeriò occupabant tot tantæquè Animalium Nationes, quibus Terra, Aër, ipſumquè

Pelagus populatur.

Sed ecce inopinatò ex confragoſę Rupis ſcabritie, deſpectuquè prærupto gradiens mihi viſa eſt Mulier *cuius pretium procul, & de vltimis finibus.* Aſpectu Auguſtiſſima, non procax, aut petulans oculis, ſed ijs ad Benignitatem ardentibus, & vltra communem valentiam perſpicacibus, formoſo Gratiarum Choro ducebatur, quaſi vellet *Ancillas illas ad Arcem vocare.* Statura eius harmonica, & ex ſe peregrinos ſpirabat odores, ſpecie commendatiſſima erat, elegansquè ſupra Auroram, Capillo non ad vanitatem criſpanti, nec ad leuitatem fluitanti, ſed ad Modeſtiæ legem ingenuè coacto, & in multo ſaturatâ conchylio, auroquè diſtinctâ PVRPVRA ſeſe magnificè efferebat.

Verùm quod tantæ Maieſtati ſplendorem geminabat, IRIS fuit auro, ſmaragdis, & PVRPVRA vndiquè collucens, quam, velut decretam Coronam manibus geſtabat. Incredibilis ſanè

colorum, ac picturæ eius elegantia, vicinæ marcebant Roſæ, & Hyacinthi, moribunda Lilia & Crocus, ſtupuiſſent Vniones, & Carbunculi, imò & Aurum ipſum liueret, raraquè illa Terræ minutalia ſordeſcerent, ſi adeſſent, nequè aſpectu gratiam retinerent, quin & iucundâ ſui odoris fragrantiâ nouum Naturæ viuenti miraculum præbebat, nam & inſigne illud, ac verè Dædaleum opus, amœniſſimâ voluptate ſenſibus ad blandiens, flores efficiebat odoratiores.

Comitem ſe iungebat indiſtanti greſſu IVVENIS, inter Rupis ſcopulos aſſurgentis, animosè ſibi pandens iter, trinæ APIS mellilegio recreatus. Os, humeroſquè Deo ſimilis, totáquè ſymmetriâ ita venuſtus, comis, & elegans, vt ipſius VIRTVTIS proprium opus ex fulgore ſuſpicarer.

Vtrimquè ingenuis diu certabatur Officijs; hic Religionis cultum afferebat, & Vitæ ſuæ flexus, rationes, perioduſquè inclinis ſubmittebat, cum hac

litterâ: IN MANIBVS TVIS SORTES MEÆ. Illa mille oculorum flammulis igniculans, *Venerunt*, inquit, ô IVVENIS, *Tibi mecum pariter omnia bona, & innumerabilis Honeſtas Tibi per manus meas.* Eſtò vir fortis, & conſtans in viâ VIRTVTIS tuæ, in multâ luce ponam te, *faciamquè Tibi Nomen grande iuxta Nomen MAGNORVM qui ſunt in Terrâ.* Quin & meo munere tantam recipies Venerationem, vt (quod raró vlli contigit) Fœlicitas tua effugiat Inuidiam, ſi vt ſoles (NEC *enim* DELIBERAS EX HIS ANNIS. & NASCENS LEX IN DIE HABERIS) in tantâ honorum Fœcunditate ad eius fructum per illius contemptum contendas: ſi etiam continuò in ME omnia tibi ſint, & ipſa pro omnibus fuero, *quæ in Conſilijs habito, & eruditis interſum cogitationibus*, è prælijs ad prȩmium, è caſtris, ad Aſtra, & à crepuſculinâ hac lineâ, ad meridianum Gloriæ rapieris. Quo ſpondente fidem, lucenti IRIDIS Auro Clientis ſui Caput

Anagrammata. Alexander Bichi Senenſis.

fidele redimiuit, ſmaragdis ſtellulantibus Pectus fauſta ſperantis illuſtrauit, & amoris præcipui flammaſcenti PVRPVRA totum corpus amiciuit, hæc dulciſſimè occinens: *PVRPVRA Te Fœlix, te colit omnis Honos.* ſimulquè ipſas Suauitatum dulcedines poſt complexum, vbertim effudit. *Sicut Ros Hermon qui deſcendit in montem Syon. Sicut vnguentum in Capite quod deſcendit in Barbam Aaron.* Quis mihi tunc ſenſus in tam ſublimium rerum viſione? timor detrectabat acceſſum, etiam ego de Symptomate elangueſcebam, ſola hæc vox rauceſcentes, & quaſi aſperâ Arteriâ patientes mihi fauces ſoluit tremulo anhelitu.

Quam te memorem Virgo! namquè haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat.
Sis Fœlix, noſtrumquè leues quæcumquè laborem.

Illa

Illâ ſanè indigitante, didici SAPIENTIAM eſſe, quæ citò omni comitate meum, & beneuolentiâ timorem temperauit, ſed eo genere ſermonum, qui vtiles, imò ſalutares mihi eſſent, deterſis vulgarium affectionum nebulis quæ me ambiebant, atquè oculum animæ rarâ Opticâ, & contemplatione ad res traduxit ſuperiores. *Iuſti ſunt*, ait, *omnes ſermones mei:* Scias VIRTVTEM velle quæri cum labore, haberi cum amore, ipſamquè lentam eſſe, & omnium percunctatricem, Deiquè plantationem in quâ occupata mens, ad nihil externum defluit, quin obſignatur caractere Veritatis informatâ ad bonum habitudine, atquè adeò cuiuſuis Vitæ quæ ex illâ agitur finis, eſt Dei participatio, voluntarijs delictis fibulam ſtringens, dum vulneribus creſcit, *& in infirmitate perficitur*.

Fallor? an aliquis miles ad bellum cum delicijs venit? an de cubiculo ad aciem procedit, nùm potiùs de papilio-

nibus expeditis, vbi omnis inſuauitas conſiſtit? Sudore, crede mihi, ſudore omnia conſtant, & Dij bona laboribus vendunt. Tu verò quid cenſes de ijs quos diuitiæ & honores in faſtigio ponunt altiore? Tibi ſi magni videntur, cum baſi illos ſuâ metiris, non cibus ſecuris, ſomnuſuè contingit; ſuſpirant ſæpè in conuiuio, bibant licet in gemmis, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilant in plumâ. Si vis certam Hominis æſtimationem inire, animum intuere, qualis, quantuſquè ſit, alieno, an ſuo magnus? ex VIRTVTE ſola Hominis vera, & digna æſtimatio. Nemo in hunc honorem mentiri poteſt, neç valet niti contra Dies edax.

IVVENEM hunc mihi aſtitem vides, vt lucidum fertur per iter vitæ? Ille eſt, ille qui ventura animo præuidens tempora, ipſis in ephebis præter ætatem, ſibi generoſo labore VIRTVTEM parare didicit. Ille eſt, ille qui quantò ſibi

plures negauit honorum Infulas à Superis ſemper plures tulit. ALEXANDER ille BICHIVS, Sacrâ Macedoni VIRTVTE præcellens, ex ILLVSTRISSIMA, FORTISSIMA, INVICTISSIMA illa BICHIORVM Stirpe Senenſi, cuius rerum ſtrenuè, tùm domi, tùm foris geſtarum fama celebrior Orbem percurrit vniuerſum; AQVILA, LEONEQVE gentilitijs Nobilior, viuitquè in profundam temporum altitudinem.

Dedit quidem ALEXANDRO celſos animos egregium genus, & ſtirps belli potens, atquè à Martio Patre robora magnanimæ Prolis prodiêre. Nec eius AQVILA exeus, aut degener, nec LEONIS caput criſpanti iubâ decorum in Stemmate minùs formidandum, licet candida regnet in eo Modeſtia venatrix hominum. At certè Leones & fortes ſunt, liberales, nobiles, magnanimi; ſed & manſueti, & iuſti, eorumquè amantes cum quibus verſantur, &

Aquilæ conſidunt in editioribus, volantquè ſublimes.

Enimuerò quod pręcipuum; Cœlites mente ingenitâ BICHIVM meum ditarunt quâ nihil eſt, aut nobilius, aut præſtantius, quâ velut ſuperior illa Mundi pars, ſideribus propinqua, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem & omni caret tumultu. In mores eius Fortuna ius non habet, hos diſponit ipſe, vt quàm tranquilliſſimus ille eius Animus, ad perfectum veniat. Semper ſuprà res ſuas eminet & illis minor non fit. Alij more eorum quę fluminibus innatant non eunt, ſed feruntur ex quibus alia leuior vnda detinuit, ac mollius vexit, alia vehementior rapuit, alia proximè ripam curſu langueſcente depoſuit, alia torrens impetus dejecit in mare; hic vero Prudentiâ, Conſilioquè ita ſe ſuaquè diſpoſuit, vt quid vellet, diu conſtituerit, & in eo perſeueret. In VIRTVTE namquè ſedet immobilis,

& ex eâ tanquam ex Aſtrolabio deſcribit me doctrice, Signa & Ordinem Celſitudinum ſuarum; rotatque ſuę fœliciter dioptram Eminentię PIETATE, IVSTITIA, FIDE, RELIGIONE: *Quibus ardet, & lucet, lux eſt mundi, & & Sal Terræ*; & quotidiano animi candore creſcit, creſcente eius in Deum affectu; velut Silenite gemmâ, in Arabiâ naſcens, cuius candor creſcente Lunâ, accreſcit.

Sed & quàm digna Imperio facies, & caput Cydari! quàm lynces oculi in quibus ille hoſpitatur animus ita fugax voluptatis, appetitor laboris, honoris impatiens, diues in conſcientia, humilis ad merita & ſuperbus ad vitia, vt omnium corda, ora, vota, vi blandâ dudum in ſe quaſi catenulis aureis conuerterit, traxerit, captiuarit. Etiamnùm doctas ſecum vehit Athenas, factus ipſe viuax purioris facundię Rhodanus.

Meminiſtin' aliquando *AQVILAM alarum magnarum veniſſe ad Libanum, &*

tuliſſe medullum Cedri. Aquila hæc (attributiuè loquimur) ALEXANDER meus, Bichiorum AQVILA grandis, magnarum alarum, meritorum ſegete confertiſſimâ Cœlum tangens. AQVILA hæc, Virtus ALEXANDRI, grandis, & alarum magnarum, cum ſolo famam terminarit Olympo, ALEXANDRI inquam, circa ſe properantis Cœli fugam ſpectantis Virtus, venit ad Libanum, candidum illum VRBANVM VIII. Pontificem Opt. Max. Principatum habentem Sacerdotij, Supremum intimumque Numinis Conſiliarium, Centrũ à quo conſanguinitatis Catholicæ lineæ per quaſuis Orbis partes ducuntur, Solem denique à quo omnium Dignitatum Eccleſiaſticarum radij promicant. Venit ALEXANDER & tulit medullam Cedri, Secretos nempè Pectoris illius immortalis, quaſi, *tenerrimus ligni vermiculus*, ſibi conciliauit amores, triumque illarum ſublimium Vrbani APVM fauos ſuâ Virtute, alter Ionatas meruit

deguſtare, & hinc *Fauus diſtillans labia eius, Mel & Lac ſub lingua eius.* Tulit ALEXANDER medullam Cedri iuſto promerendi artificio, obſequio, reuera, cuius diſciplina, morigera ſubiectio eſt. Quid hoc niſi Virtutis opus? Quod ſummo illi fidelium Parenti VRBANO fit Prælatus Domeſticus, & Aſſiſtens, Vindaucicâ Inſulâ ſeu mauis Carpentoractenſi Meminorum, Petrarcha Grammatico illuſtri, excipitur, Timotheo cõpar *irreprahenſibilis, ſobrius, prudens, ornatus, pudicus, hoſpitalis, doctor, modeſtus, ſuæ domui benè Præpoſitus, & Eccleſiæ Dei diligentiam habens.* Ad Cæſarem Gallicum LVDOVICVM IVSTVM ſemper Auguſtum, Oratoris ſtationem, ſeu Nuntij munus accepit, quod ante illum, nec Fide aut Labore ſeueriori vllus vnquam geſſit, nec maiori REGIS PIISSIMI charitate & Beneuolentiâ, nec Gallorum omnium digniori applauſu, quibus hanc iniuriam poſt ſe relinquet, quod ſuâ Gratiâ, Comitate

& Vrbanitate effecerit, vt moriantur memoriæ illius æternæ Ingrati.

Curſu demùm conſummatò, & Fide ſeruatâ, exantlatis tot laboribus quibus minimè, nec etiam ſibi pepercit, repoſitam hanc eminentiſſimam PVRPVRAM, quæ cœterarum ſibi ſubmittit ardores, in manibus meis inuenit ſub vmbrâ LILIORVM, non vt ſtet, ſed vt perpetuâ VIRTVTIS agitatione, per quotidianos aſcenſus ad Deum feratur, & Eccleſiæ Chriſti ſponſæ ſplendorem, libertatemquè afferat, promoueat, tueatur.

Illicò verba in ALEXANDRVM flectens; Eya inquit, Vir dulcedinum, iam PVRPVRATVS intrabis non Palleologum Græcorum, non Senatorium Dictionale Romanorum, non Etruſcorum Lucumonium, non Iudæorum Zanedrim, ſed quod preſtantia & Sanctitate maius eſt, illud Senatorium Magiſtrale, cum quo eſt, præſidetquè Caput Chriſtus Verbum Patris, vſquè ad con-

ſumma-

175

ſummationem ſæculi. Eya Tu vnus ex peritis illis qui lectulum Salomonis, Eccleſiam ambiunt ad bella Doctiſſimi ex fortibus Iſraël, qui ſciunt calcare Terram non adorare & licet *ſatagant circa frequens miniſterium* Eccleſiæ, momento tamen in ſuperbeatas ſimilitudines transfunduntur.

Nulla Dies vnquam memori Te ſubtrahet Æuo,
Dum Domus Æneæ, Capitoli immobile ſaxum
Accolet, Imperiumquè Pater Romanus habebit.

Vix finierat, EMINENTISSIMO PRINCIPI Dulciſſimum Pacis inſigens oſculum, & Aureo curru, cuius per iuga Chryſoliti, & ex ordine Gemmæ diſpoſitæ, inter PVRPVRASCENTES violas, Fœcundiſſimoſquè florum ſuaueolentium nimbos, Cœlo ſeſe raptim inſinuauit. *Viæ eius, viæ pulchræ.*

Tum ego ſpem & animum ducens ab ipſo Deæ (ne quid diſſimulem) amaricanti receſſu ſic anhelus; & hians acceptâ obſeruantiæ lege; excepi: Apage Achillis Fœlicitatem, qui geſtorum ſuorum, dicente Rege Macedone habuit præconem Homerum, quantò Te Fœliciorem EMINENTISSIME PRINCEPS qui tuæ Virtutis Panegyriſten Diuinam nactus es SAPIENTIAM? huius vnius fuit ſanè, pro faſtigio tuo TE metiri, *In cuius dexterâ Tibi longitudo Dierum, & in ſiniſtrâ diuitię & Gloria.*

Hic ſolùm vota ſuperſunt ex Officio. Quis enim tuæ in hunc Sacrum Sanctiſſimæ TRINITATIS Redemptorum Ordinem, Beneuolentiæ numeros percenſeat, & à nobis illius candidatis, PVRPVRA tua (quam æternum proponemus in principio Lætitiæ noſtræ) qualem non habet Ouationem? Creſce ergo in mille millia Vir deſideriorum, Sacræ PVRPVRÆ Lumen intende proſperè, procede Fœliciter SOL ra-

diantiſſime ſicut proſperè agit Anima tua. Et cum hæc aſpicies nequè Te ALEXANDRVM eſſe, memineris, nequè CARDINALEM.

Ignoſce noſtri læſus obſequio Styli,
Amoris hoc crimen tui eſt.

VOTVM.

✠

Apollinis
Lumina Muſæ,
Exæſtuantes Cæſares,
XERXEMQ; collocarunt
Ad FASTOS modulo ſereniori,
Nec Martem potuerunt vehere altiùs;
✠ Digna ſed VIRTVS meliore Fato ✠
Excelſo Imperio SIDERA poſſidens,
Rectrix & Orbis nobilis ÆQVITAS
Beata quæ eſt FIDEI Soror,
Iuſto ſedentes VMBILICO
Cæli, puluere BICHIVM
Heroa fulgidum
Inueſtiunt,

✠

Stelliuomiſquè vehunt numeris (decora alta Parentum!)
Et NOMINE implent aureum SOLIS Globum.
Nimbos & omnes Gratiæ, Iouis domo
Euibrant Florum, calathoſquè plenos
Noſtro ALEXANDRO Roſeis Coronis,
Siderum Aſpectus quibus ipſe traxit
Inſe, PVRPVREVMQ; decus, Sacrumquè SENATVM,
SIC VIVat anIMa DVX, VIgeat, & proſperet.
Cronicon.

F. C. RALLE.

✠

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE